

Colloquium Nuptiale.

GENEROSI ET

MAGNIFICI DOMINI, DOMINI BERNARDINI LUDOVICI, Liberi Baronis de Touar, in Enczesfeldo, & Miledicz, &c Illustrissimi Archiducis Ernesti, Pillatoris, ad præministranda suæ Illustrissimæ Celsitudinis pocula adhibiti, &c.

SPONSI: Et,

PRAECLARAE ATQVE GENEROSAE VIRGINIS ALENÆ, DE DOMO & profapia Baronum Berkouuiciorum susceptæ, Filiæ quondam Magnifici & Generosi Domini, D. Zbynkonis Berkæ à Duba & Lippa, & in Zakopich, Sac: Imp: Maiest: Consiliarij, & Supremi Magistri Cameræ in Regno Bohemiæ,

SPONSÆ.

In quo simul conferunt de matrimonio recenter inito, & per pompam nuptialem Dei gratia à Serenissima & gloriosissima Romanorum Imperatrice, &c. **MARIA**, adornatam, celebrato. Die 13. Septemb. Anno Virginei partus salutiferi, hac Chronochria seu *ꝛꝛꝛꝛꝛ*

ꝛꝛꝛꝛꝛ contento:

De Vs serVabl̄ nos In LVMInc pVræ Verltats.

AVTORE

Matthæo Philomate Walkmbergensi, Poëta Laureato. & Equite de Castro VValkmberg, &c.



Genes: 1.
Crescite, & multiplicamini, & replete terram.

וַיֹּאמֶר אֱלֹהִים פְּרוּ וּרְבוּ
 וּמְלֵאוּ אֶת הָאָרֶץ



Εἰς γυναικα.
 Σέβγε τειω ἀλόχορ. Τι γὰρ ἡδύτατον, καὶ ἄριστον:
 ἢ ὅταν ἀνδρὶ γυνὴ φρονέη φιλα γήραθ ἄξει?
 καὶ πόστις ἡ ἀλόχω? μηδ' ἐμπέση ἀνδρὶ χα νείηθ.

In Mulierem.

*Ama tuam coniugem. Quid enim suavius, & prestantius:
 Quam si viro consentit chara vxor vsq, ad senectam?
 Et maritus sua vxori? nec inter eos incidit contentio.*



1997 KK 69
 AKO. 16/34

D. BERNARDINVS, LIBER

*Baro de Touuar, &c. Sponsus, & D. Alena Berkowna, &c.
 Sponsa, colloquuntur de suo Coniugio.*

SPONSVS.

Plaude, fauente DEO, vitæ pars altera nostræ,
 Quòd thalami consors efficiere mei.

SPONSA.

Cur adeò noue Sponse tuum solaris amorem?
 Plaudo quidem vultu, pectore voluo DEVM.

SPONSVS.

Hac ipsa laudem meritò pietate merêris,
 Est sacra res tacito voluere corde DEVM.

SPONSA.

Lator, BERNARDINE tibi quòd nubo Marito,
 Quòd mihi linqenda est patria terra, gemo.

SPONSVS.

Dij melius suadent. Patriam tibi linqere mandant
 Fata, iubentq; solo fertiliore frui.

Austria terra quidem multis iucundior extat,
 Namq; viret picto gramine, fronde, situ.

Terra ferax Cereris, vario munuscula cultu
 Fundit, & apricis diues abundat agris.

Turgescit baccis acinorum pensilis vua,
 Flauaq; de pingui spica refertur agro.

Aduhit huc etiam peregrinis vector ab oris,
 Per mare cum Rhodijs cretica musta cadis.

Sunt & apum cædûis operosa examina syluis,
 Qualia vix vnquam Sicelîs hybla tulit.

Nec defunt varijs vernantes floribus horti,
 Cypria quos struxit pulcher Adoni tibi.

Hic tibi lenefluens tenui fons murmurat vnda,
 Et dulces somnos scis Arethusa mouet.

Omne genus volucrum, pisciûm, genus omne ferarû,
 Ludit ibi certis, vsibus estq;e, locis.

A ij Vis au-

Vis aurum, & gemmas? gemmis est diues, & auro.
Mella velis? tribuet quicquid hymettus habet.
Ostrum antiqua Tyros, Cytrū cū præbet Athlantis,
Cinnama cū mittit diues odoris Arabs.

S P O N S A.

Estq̄ Sodalitio dulciq̄, piq̄q̄ carendum,
Induperatricis quo nitet Aula sacræ.
Nempe verecundis Nymphis, quæ pectora casta
Laudem illibatæ virginitatis habent.
Inter quas claro nata Heroïna parente,
Vt roseum sydus Nympha Iohanna micat.
Quæ genus, illustres & Auos, insigneq̄ stemma,
A Perneſteynſi ducit, habetq̄ Domo.
Virgineos cœtus inter sic illa refulget:
Vt pulchras inter casta Diana Deas.
Religio, pietasq̄ sibi, curaq̄ decorum est,
O etiam virgo Principe digna viro.
Ter fortunatum, cū hanc secreta referuant
Suauiter in dulces fata venire thoros.

S P O N S V S.

Dulcius est sacra coniungi lege Marito,
Quam sterili vita, cœlibe quamq̄ frui.
Quot facies rerum, quot sunt & in orbe figuræ,
Apparent socij tot simulachra thori.
Fasq̄, piūmq̄ Sodalitio caruisse priore est,
Dum bona sors tribuit commodiore frui.
Me socium fati, me lucis habebis, & aui,
Pars tibi læticiæ, parsq̄ doloris ero.
Donec per mortem nos fata, Deusq̄ resoluent,
Longius in terris nec superesse sinant.

S P O N S A.

Linquere sanguineos, & stirpis cogor amicos,
Forſan & externo consensuisse solo.

Id cup it

S P O N S V S.

Id cupit ordo D E I, certissima normaq̄ fati,
Humano nunquam transilienda pede.
Ad latus estq̄ viri pulchrum, prædulce, decorum,
Sit vel in externo consensuisse solo.
Et spectare suam Sobolem, tenerosq̄ Nepotes,
Qui matris reptent, patris & antè pedes.
Et rebus Coniunx est cunctis antè ferendus,
Is tibi corpus amans omnia solus erit.

S P O N S A.

Sic Ludouice tuis mulces mea pectora dictis:
Vt nequam tua non esse per omne Comes.
Ferrèq̄ fida Comes tecum solatia, luctus,
Si quos (dij auertant) fors malè fausta ferat.

S P O N S V S.

Ergò plaude bonis auibus lectissima Coniunx,
Fac animo subeant optima quæque tuo.
At libet, estq̄ animus tecum nunc philosophari,
Ex animo vt pellas tristitia quæque tuo.

S P O N S A.

Ars Sophiæ non est mihi nota Marite, sed inquam
Sparge, placent lætis seria mista iocis.
Seria quæ pia sunt, non auribus aspera pronis,
Quæ violas spirent, Elysiâsq̄ rosas.

S P O N S V S.

Clori benigna faueto, nouis da spargere Sponsis,
Compositosq̄ sales, cecropiosq̄ iocos.
Coniugij per quos multò conspectior ordo,
Necnon conuictus dulcior esse solet.

S P O N S A.

Seria tractantur perquosq̄ negotia rerum,
Et quibus assumtis mens proba gandet onans.

A iij

S P O N-

S P O N S V S.

Quæ mage complacuit Domino: Num vita iugalis?
An verò caelebs? Nupta nouella refer.

S P O N S A.

Si benè traducat concessi temporis vsu,
Vtraq; supremo grata Sarepta **D E O** est.

S P O N S V S.

Rem benè tangis acu. Sed multò est gratior arbor,
Effundens fructus tempore facta suo:
Quàm quæ tabescit, sine fronde & flore fathiscens.
Vbertate carens, fertilitate vacans.

Spina quid agrestis? quid inertes fatibus Orni?
Arbor quid sterilis commoditatis habet?
Innuba quid virgo, vita quæ cælibe gaudet?
Corde æstus celans, dissimulansq; vago?
Pulchra suis triplex demonstrans numen ab herbis,
Sit nisi: Planta: ferax, iniicienda foco est.

S P O N S A.

Vult Deus innumera, certum est, hinc crescere stirpe,
Humanum, thalami per sacra iura, genus.

S P O N S V S.

Quæ matronarum Dos est pulcherrima vitæ?
Altera pars animæ dicito, Sponsa, meæ.
Id benè si solues, dederis in carmina vires,
Id benè si dices, dixeris omne simul.

S P O N S A.

Dicam mi Coniunx, vita mihi charior ipsa,
Pace tua dictum sed tamen esse velim:
Sola pudicitia Virtus pulcherrima Dos est,
Et matronarum, virgineiq; chori.

S P O N S V S.

Sat dotata venit, verum est, si Nupta pudica est,
Quæ caret hac, cunctis deficit illa bonis.

S P O N S A.

Non nisi crimen alunt amisso cuncta pudore,
Hoc nequit ablato perdere Nupta magis.

S P O N S V S.

Tertia proposito fit in ordine Quæstio talis,
Responso hæc eget Nympha venusta tuo.
Dic mea tu Coniunx, roseo formosior astro,
Cui certant vernis æmula labra rosis:
Qui color est Nuptæ formosior omnibus vnus?

S P O N S A.

Quem pudor in vultu semper honestus arat.

S P O N S V S.

Eia age, dic, postquam problemata soluere nosti:
Est suprema pio quæ medicina viro?

S P O N S A.

Castâ, timensq; **D E I** mulier, probitate toruscans,
Plurimus in roseo cui sedet ore **D E V S**.
Blanda viro Coniunx animum diffundit, & aufert
Tristitiæ quicquid sensus vterque fouet.
Cor illi recreat, taciteq; per intima gratam
Viscera læticiam, lætior ipsa, mouet.

S P O N S V S.

Sola potestq; sibi tristes depellere noctes,
Afflando tenero pectus amore viri.
Coniugis effati frigentia calfacit ossa,
Ex sene, si verum est, cor iuvenile facit.

S P O N S A.

Non ea vis succis, nec inest cerealibus herbis,
Pharmacum id Sponso sola Marita facit.

S P O N S V S.

Nil sterile Asplenum, nil læta Sisimbria parte hac
Intyba, nil Mentæ, nil Calamintha potest.
Æmonia nihil hinc radices valle refectæ,
Nil succi, aut flores, semina niq̄ valent.
Vsa quibus fuerat, si credimus ista Poëtis,
Phasias effatum docta nouare senem.
Extremóq̄ nihil lapides Oriente petiti,
Oceanus refluus quósue refundit aquis.
Nil Siseli, aut Arum, nec Eryngion vtile Nuptis,
Antydoton Coniunx id parat ipsa viro.

S P O N S A.

Sed cur est, cœu dicis Eryngion vtile Nuptis,
Quod sterilis rubo spina cruenta tegit?

S P O N S V S.

Sic aiunt, succos quos fama est nôsse salubres,
Hæc quod coniugibus profuit herba nouis:
Occulat hanc herbam, roseo si Nupta sub ore.
Aut ferat in molli Sponsa pudica sinu,
Vir suus illicitos nunquam meditatur amores,
Sed retinet casti spémq̄ fidémq̄ thori.
Innocuúm̄q̄ iecur vetito nec perforat igne,
Intus nec sanie, putre nec vlcus alit.

S P O N S A.

Noxius haud virus spirat Basylicus ab ore,
Quàm sceleris rabies huius obeffe solet.
Nec sic mordaci serpens prurigine Lepra
Inquinat, humanis corporibúsq̄ nocet:
Quantum hæc lethali sanies horrenda veneno
Officit, & fædat templa sacrata DEO

S P O N -

S P O N S V S.

Quod decus est ingens, dic Sponsa venusta, Maritæ?

S P O N S A.

Posse placere DEO, posse placere viro.
Summus honor, pietásq̄ ingens est Coniugis: omni
Officio semper demeruisse virum.

S P O N S V S.

Oceanis vt Sol quando caput exerit vndis,
Illustrat summi lata theatra DEI:
Haud aliter Coniunx isthac virtute refulgens,
Est decus, & generis splendor, honórq̄ sui.
Cúm̄q̄ pudicitiam formæ coniungit honestæ,
Non secus ac sacra lampas in æde micat.

S P O N S A.

Pace tua propono etiam Problema Marite,
Quod Sponsi elogium fortè recentis amat.
Da mihi te placidum, mea lux, mea vita, meum cor,
Annue dicenti seria, mista iocis:
Legitimi quæ coniugij sunt proprietates?
Dic animo Coniunx semper amande meo.

S P O N S V S.

Veri connubij isthæc προσκείμενα feruntur,
Coniurata fides, & socialis amor.
Aduersæ, faustæq̄ simul communio fortis,
Fortunas debent namq̄, crucésq̄ sibi.
Postea dilectæ Sobolis generatio. Quinta est
Proprietas veri, mutua cura, thori.

S P O N S A.

Differis ingenuè. Problemata qui benè nôrit
Soluere, sunt ea sunt plurima danda sibi.
Infero nunc aliud, sacro de fonte petitem,
Ad respondendum quando paratus ades.

Quæ vel nobilior, vel pulchrior omnibus vna est
Fabrica, supremi, dic Ludouice, DEI?

S P O N S V S.

Vix est nobilior sub toto fabrica Cælo
Coniuge, quam probitas ornat, amorq; Dei.
Talis enim est veluti Paradisus & hortus amarus,
Cælestes plantas fæta subindè ferens.
Complentur quibus angelicæ, castæq; phalanges,
Quas DEVS ex sacro colligit ipse thoro.
Ac ob eam causam sanxit pia fædera lecti,
Crescat vt humanum, promoueatq; genus.
Vndè sibi Dominus cætus sua iussu colentes
Colligat, & faciat vascula lecta sibi.

S P O N S A.

Laus rerum Domino super astra, polòsq; sedenti,
Aurea pax viuus, manibus alta quies.
Quòd muliebri genus tanto dignatus honore est,
Vt superet parte hac numine dante viros.
Sint aliæ steriles, celéntq; cupidinis ignes,
Quas iuuat aterna virginitate frui.
Me recreent sacre socialia vincula tædæ,
Ordo Coniugij clarus honore DEI est.
Mente sua genitum voluit de virgine nasci,
Quæ fuit hebræo credita Sponsa viro.
Ecce hîc quantus honos thalami? Conuincor, in ipso
Coniugio sacrum numen vt esse putem.
Et DEVS est thalami Plastes, desponsor, & obses,
Approbat & castum, castior ipse, thorum.
Innuptæ valeant, quibus intemeratus amantiùm,
Lectus, & interior credita cura thori est.
Vlmus vt igne Iouis contacta exaret, & vuas
Amplius haud profert, nec videt ipsa magis,
Nec curuat grauidos autumnii tempore ramos.
Fulmine, curuaret, nî foret iccta Iouis:
Innuba sic vita quæ cælibe virgo senescit,
Soliuaga cupiens virginitate frui,

Ætatis

Ætatis roseum videt emarcescere florem!
Sed sponsata viro pignora mater habet.

S P O N S V S.

Adde quòd optato genitricis nomine gaudet,
Solatúrque thoro quodq; laboris onus.

S P O N S A.

Æthereæ plantæ, sunt casti pignora lecti,
Inq; horto vernant tempus in omne DEI.

S P O N S V S.

His latatur, ouátq; DEVS, nîl gratius ipsi est,
Horto quàm plantas inseruisse sacro.

Sim, quem casta tuum vocites, ergo, vxor, amorem,

S P O N S A.

Sim, quam corq; tuum, deliciásq; voces.

S P O N S V S.

Vt Sponso paret sua Sponsa Ecclesia CHRISTO:

Pareat in cunctis sic pia Nupta viro.

S P O N S A.

Diligit vt CHRISTVS cætus sua iussu colentes:

Sic amet vxorem vir, sua membra, suam.

Coniugij Plastes, lucis moderator, & aui,
Prosperet & firmet fædera nostra DEVS.

S P O N S V S.

Idem det, facias vt me post prole parentem,

Arbor cæu fructu fæta subindè nouo.

Vt cineres & aui (Dij faxint) Nepte reducas,

Natorum Natos vtq; videre queas.

Ambo ita ducamus felici tramite vitam:

Sentiat vt noster iurgia nulla thorus.

S P O N S A.

Faxit id omnipotens Pater, & conformis imago

Gnatus, & amborum flammula sanctus amor.

Viue MARITE diu longæuos Nestoris annos,

S P O N S V S.


Túq; Sybillinos VXOR AMATA dies.

Praga, Typis Georgij Iacobidii Dauriceni. An: Sal: M. D. LXXX.

EPITHALAMIA .

VIRTUTE ET
DOCTRINA OR-
NATO VIRO D. PETRO
LAVRENTIADAE ALTIMITENO

ARTIVM PHILOSOPHIAE BACCALAVREO RECTO-
ri Scholæ Rakonensium fidelissimo. Et pudicissimæ
virgini Ludmillæ D. Georgij Louccij ciuis Rako-
nensis, filia, ab amicis scripta, 18 Octobris
Anno salutis 1580.



P R A G A E .

Ex Officina Georgii Nigrini.

